



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Intimationis Electionis Arbitri Form. LII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

fuert iudicatum : Unde si talis dispositio servabitur, prout servatam hic suppono, clausum erit ostium Scandalis.

8 Hæc autem Arbitrorum electio, quoties ex parte Ordinarii, vel ex parte Conservatoris proponatur, recusari non debet, quia assumuntur de necessitate, & dicuntur Arbitri juris, ut ex recitatis verbis ibi -- *in forma juris electos*, & habetur quoque dispositum à Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5. de reform.* Pasqualig. ad Lauret. de Franc. *p. 1. n. 853.* imò puto, quod facta propositione, si respuatur, & negligatur Arbitrorum electio, actus jurisdictionis, electionem recusantis deinde subsecuti, nulli sint : quia verba illa Constitutionis -- *nequaquam in causa procedatur donec &c.* quæ idem important, quod si diceret --

nullo pacto, nullo casu, nulla ex parte, ut docet Barb. *d. 212.* videntur habere vim præcisæ prohibitionis, & æquipollere clausulæ *nullatenus*, quæ nullitatem actus ipso jure inducit, idem Barb. *d. 226. n. 4.* Rot. cor. Duno. jun. *decis. 732. n. 25.* maxime juncta dictione illa *donec*, quæ de per se facit conditionem, Barb. *d. 93. n. 12.*

Ideoque Ordinarius quoties inter ipsum & Conservatorem de jurisdictione contentio sit, præveniendò inconvenientia, & Scandala, eligat Arbitrum, & postea electionem denunciet Conservatori, ut in illum consentiat, vel alium eligat, cum inhibitionem, nè in causa procedat, donec de pertinentia cognitionis ab Arbitrio electo judicetur; talis autem electio, sic erit faciendà judicialiter.

F O R M U L A L I.

Die

» C O mparuit coram Dominatione Vestra Illustrissima Promotor Fiscalis
 » hujus Curie, & habita notitia quod N. assertus Conservator PP. N. Ord.
 » N. Monasterii N. se jactat Censuram inter N. & N. vertentem velle cognosce-
 » re & judicare & de facto monuit. . . licet cognitio omnimoda pertineat ad hanc
 » Curiam, nè eveniant scandala, instat ad formam Constitutionis Greg. XV.
 » eligi Arbitrum, vel Arbitros, qui prætensionem, & controversiam hanc
 » jurisdictionis dirimat, & postea electionem factam d. Conservatori intimari
 » cum inhibitione, nè in causa prædicta audeat procedere sub pœnis &c.
 » Qui Illustrissimus D. attentis expositis, ex parte sua, & hujus Curie in cau-
 » sa supra expressa nominavit, & elegit, nominat, & eligit in Arbitrum N.
 » J. U. D. qui Judicis partes in d. causa suscipiat, & per suam sententiam serva-
 » to juris ordine controversiam de competentia jurisdictionis in ea inter hanc
 » Curiam, & ass. Conservatorum obortam dirimat, & dicto Conservatori in-
 » timari mandavit cum inhibitione, nè interim nihil innovet sub pœnis censu-
 » rarum, Hac die

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

Intimationis.

F O R M U L A L I I.

» I Ntinetur N. Conservatori asserto Monasterii N. & illius Religiosorum Or-
 » dinis N. qualiter in Causa. vertente inter N. & N. Curia Episcopalis
 » elegit, & nominavit in Arbitrum N. Clericum J. U. D. ut in controversia ex-
 » orta

„ orta jurisdictionis super cognitione d. Causæ, Judicis partes suscipiat, & per
 „ suam Sententiam d. Controversiæ finem imponat servato juris ordine, juxta
 „ formam præscriptam in Constitut. Gregor. XV. *Sanctissimus*: idem monetur
 „ idem ad conveniendum, & consentiendum d. electioni; vel ad alium, aut
 „ alios Arbitros ad eundem effectum nominandum, & eligendum quampri-
 „ mum, & interim sibi inhihetur, nè in dict. causa nil innovet sub pœna in dict.
 „ Constitut. contenta instante Promotore Fiscali Curie Episcopalis &c.

11 Hac eadem formula uti poterit Conservator, quando ipse Curiam Episcopalem in electione prævenit, absque tamen inhibitione, quia in casu dubio, & contro-
 verso, Conservator nullam habet præ-
 sumptionem boni juris, sicut habet Ordina-
 rius, qui jus, & potestatem habet
 legitimam cognoscendi de omnibus causis.

12 Proponitur autem in formula electionis
 tantum Arbitri, & non plurium: quia
 Arbitri debent eligi in dispari numero, &
 sic vel unus tantum, vel tres juxta *text.*
in c. 1. de arbitr. ad hoc, ut si non omnes
 in judicando consentiant, saltem major
 pars reperiatur, cujus arbitrio stetur:
 nam alioquin si in pari numero eligantur,
 facile est quod sine exitu res futura sit, &
 arbitrium impediatur propter hominum
 facilitatem ad dissentiendum, ut monet
gloss. in d. cap. 1. *vers. unius eligatur*, &
 sequitur Pirhing. in *jus can. lib. 1. tit. 43.*
num. 32. hoc tamen non est de necessitate,
 sed de consilio: quia si eligantur duo
 Arbitri valida erit electio: qui duo si non
 concordent: tertius erit eligendus *gloss.*
in d. c. 1. de arbitr. --- non tamen à parti-
 bus, sed ab ipsis Arbitris discordantibus,
 ut habetur in *cap. suspicionis 39. de offic. &*
pot. jud. deleg. Passerin. in cap. fin. n. 244.
tit. cod. in 6.

13 Et est notandum, quod hi Arbitri, cum
 eligantur in forma juris, & sic habeant
 jurisdictionem, qui assumuntur ex præ-
 scripto citatæ Bullæ Gregorii, compelli
 possunt ad hoc minus suscipiendum: nam
 sicut munus judicandi est necessitatis, &
 necessario acceptari debet *l. munerum 18.*
§. judicandi ff. de muner. & honor. ita, &
 hoc munus arbitrandi, seu judicandi,
 prout argumentatur Pirhing. loco supra ci-
 tato *num. 1.* Mihi autem videtur consulti-
 us, quod unus tantum de consensu eli-
 gatur, quia ita facilius, & celerius res

erit expedita, qui debet, esset clericus, 14
 quia non decet ut laicus in rebus Ecclesia-
 sticis arbitretur, Pirhing. *ibid. num. 20.*

Partem instantem. Idem persona, seu 15
 personæ, quæ faciunt partem in judicio,
 sive actores sint; sive rei, non autem cæ-
 teri: quia tam *text. in cap. fin. de offic. &*
potest. deleg. in 6. quam Constitutio Gre-
 gorii loquuntur de sola parte, quæ pro-
 curavit, ut Conservator scienter suam
 potestatem cum effectu excederet, quæ
 censuram excommunicationis Papalem
 incurrit, à qua absolvi non potest --- *nisi*
ei, quem sic fatigavit indebitè, primo sa-
tisfaciat integraliter de expensis sunt verba
 præcisa *text. in d. c. fin. ubi Barb. num. 20.*
 Bonaccin. *de censur. extr. bull. can. disp.*
2. quæst. 2. punct. 35. num. 2. Donat. loco
 supra citato *quæst. 43. n. 2.* ubi cum Bonac.
num. 5. asserit, quod hæc censura post
 satisfactionem evadat Episcopalis, &
 possit absolvi à quocunque approbato
 Confessario, ex quo in textu non legatur
 reservata: quod dictum non admitto,
 teneoque absolvi reum non posse, nec
 deberi a simplici Confessario, nisi ex de-
 legatione Episcopi, prout tenet Barb. in
d. c. fin. n. 22. quia Confessarius scire non
 potest quantitatem expensarum, & ea
 verè pars fuerit integraliter satisfacta,
 nec debet credere assertioni pœnitentis:
 & etiam quia censuræ latæ à jure, & Pa-
 pæ non reservatæ, censentur reserva- 16
 tæ Episcopo, non autem simplicibus,
 Confessariis, ut latè ostensum fuit in *pre-*
lud. in tit. de censur. excom. §. 1. ver. una
enim sententia, Sayr. *de censur. lib. 2. c.*
19. n. 2. ubi hæc habet --- *ab omni excom-*
municatione jure Pontificio, aut Synodico
lata, quæ nemini reservatur, & etiam ab
omni excommunicatione hominis generali-
ter lata absolvere potest in foro exteriori
Episcopus proprius, & omnis Prælatas
 Pro-

proprius, habens jurisdictionem fori exterioris &c. quia cum legislator ejus absolutio- nem sibi specialiter non retinuerit, vide- tur tacite absolutioem suis similibus, & consequenter propriis Episcopis, & Præla- tis: & proinde absolutio data, & obtenta à Confessario nihil proderit in foro ex- terno.

- 17 *Fines officii excedentem*. Excedit of- ficium suum Conservator, quando se ingerit in causis, quæ non respiciunt ma- nifestas injurias, & violentias, quæ de facto inferuntur Religiosis, aut bonis Monasterii, ad quas restringitur jurisdic- tio, ut habetur expressè in *d. cap. fin. de pot. Jud. deleg. in 6.* ubi DD. communiter: nec ullo modo extenditur ad cognoscen- dum de injuriis illatis eorum familiaribus, 18 & agentibus; quia antiqua nonnullorum Regularium privilegia Conservatoria- rum, quæ fortè talem facultatem tribue- bant, tum à Concilio Trid. tum à d. Con- stitutione Gregorii in hac parte abrogata fuerunt, ut ingenuè fatetur contra suos Donat. *prax. rer. regular. tom. 1. par. 2. tract. 17. de Conservat. quæst. 14.*
- 19 Ideoque si eorum Coloni accusentur, & conveniantur in Tribunali Ordinarii Ecclesiastici pro damno dato (qui est casus figuratus in formula) sive illato sine dolo, sive illato dolosè, & studiosè, non potest Conservator se ingerere, etiamsi Colonus carceretur: quia Colonus non est bonum mobile Monasterii: & quo ad Animalia damnificantia, tunc posset procedere, si extent propria Monasterii, quando nullum damnum intulissent, vel si intulerunt, Regulares essent parati sa- tisfacere, dantes sufficientem cautionem & tamen animalia detinerentur, quia tunc fieret violentia eorum bonis, ut in- quit Donat. *loco citato quæst. 13. num. 1.* Et hæc procedunt etiam in Colonis Mili- tum Hierosolymitanorum, qui habi- tant in Domibus ruralibus alicujus Com- mendæ: nam hi, cum non habeant requi- sita *Bullæ Gregorii XIII. la 67.* subjiciun- tur Ordinario, ut probant Pignatell. *consul. 23. per tot. tom. 2. ubi n. 4.* Decretum S. C. Concilii refert, & Card. de Luc. *dis. 4. de jurisd.*

- 20 Nec dici potest, quod si Colonus de-
Monacelli *Form. Pars III.*

tineretur pro damno dato in carceribus inferretur saltem indirectè præjudicium bonis Monasterii propter ejus absentiam, ad quod evitandum valeat Conservator se ingerere, & illum è manu Judicis Or- dinarii vindicare, quia talis ratio suffragaretur, quando captura demandata esset per Judicem laicum, qui sicuti non debet, nec potest pro damno illato retinere ani- malia Ecclesiasticorum ita nec Custodem, sive Colonom carcerare, ne per indire- ctum lædatur immunitas Ecclesiastica, & præjudicium inferatur Ecclesiæ, ad tradi- ta per D. Raynald. *observ. crim. tom. 2. c. 15. 21 §. 4. 5. & 6. num. 92. & 93.* non autem in casu formulæ: quia cum causa damni da- ti sit criminalis, ut absolutè tenet idem Raynald. *loco citato num. 80.* præsertim quando damnum fuit dolosè illatum, R. P. D. Zaul. *ad stat. Favent. tom. 2. rubr. 8. nu. 12.* & illam cognoscere privativè spe- ctet ad Judicem Ecclesiasticum juxta gene- rale Decretum S. Congr. Immunit. à me relatum *tom. 2. tit. 15. annot. ad form. 4. n. 10.* ritè, & rectè potest Ordinarius absque in- juria, Custodem, sive Colonom detinere, & carceribus mancipare, nec præjudicium Monasterio inde proveniens causatur fa- cto Judicis jure procedentis, sed provenit ex culpa, & delicto ipsius Coloni.

Nec minus obiici potest, quod pro 23 damno illato ab animalibus non sit de- veniendum ad capturam Custodis, sed prius sint experienda alia remedia juris, ut dicit Panimoll. *decis. 12. annot. 8. num. 11.* Quia hic Auctor est intelligendus juxta terminos auctoritatum, quas alle- gat Rot. *decis. 602. n. 7. coram Cerro, & coram Duno. jun. decis. 498. num. 22. & sæpe alibi. Surd. autem conf. 561. num. 27. lib. 4. & Gratian. discep. 80. num. 3.* ab eo allegati, solum firmant, quod pro dam- no dato, non datur detentio animalium quando adest notitia cujus sint animalia quæ damnum dederunt, & quod multo minus liceat retinere personas, & domi- nos animalium, tum quia hoc esset au- ctoritate propria sibi jus dicere, quod non permittitur: tum nè violetur jurif- dictio jus dicentis, cum pignora capere sit species jurisdictionis: tum quia Do- mino prædii damnificati est consultum
M per

per aliam actionem, quam per retentionem, nisi adfit Statutum, vel Consuetudo contraria, ut videre est apud Surd. & Gratian. *d. discept. 80. n. 4. 5. & 6.* & sic istæ auctoritates loquentes de retentione facta auctoritate privata partis, non solum præmissis conclusionibus non obstant, sed mirificè favent, & infirmam reddunt propositionem Panimollæ.

23 *Incurfos declaramus, & denunciavimus.*

Licet jure communi inspecto Conservator excedens suas facultates, non solum ab officio Conservatoris, sed etiam ab officio ordinis suspensionem incurrat, ut notant DD. *in d. c. fin. de off. & pot. jud. deleg. in 6.* hodiè tamen jure novo attentio d. Constit. Gregorii XV. ab officio tantum Conservatoris suspensus remanet, Passerin. *in d. c. fin. n. 39.* quæ pœna, sicut, & alia excommunicationis, quoad partem procurantem, cum sint latæ sententiæ, ritè possunt ab Ordinario denunciari, & non so-

24 lum in casibus, in quibus clarum est Conservatores jurisdictionem non habere: sed etiam in aliis causis dubiis, & requirentibus altiorem indaginem, in quibus se ingerere non possunt, ut advertit Pirhing. *in jus can. lib. 1. tit. 29. n. 209. & 211.* imò cognoscendo de injuria simplici, quam Conservator non defendit, sed qualificatam tantum, hoc est notoriam Ricc. *dec. Archiep. Neap. 258. n. 9. & seqq. par. 2.* Donat. loco supra citato *quæst. 8. n. 24.*

25

26 Cum enim Conservatoriæ sint odiosæ, & retrahendæ, injuria, de qua loquitur *text. d. c. fin.* non sumitur large, hoc est pro omni eo, quod non jure fit, & damnum causat Regularibus, sed strictè, propriè, & specificè pro injuriis, quæ sunt violentia, aut contumelia, scilicet per

vim aliquid auferendo, à possessione expellendo, ad aliquid faciendum, quod sponte quis non erat facturus compellendo, vel pacificam possessionem perturbando, ut bene hæc advertit notabiliter Donat. loco sæpè citato *q. 8. n. 5. & seqq. q. 11. n. 6. q. 16. n. 1. & q. 26. n. 2.*

Porro Ordinarius non solum Conservatorem in pœnam Constitutionis incursum potest denunciare, sed ulterius si excessus esset dolosus, præsumptuosus, eum, tanquam usurpatorem jurisdictionis Ordinariæ in Censuram Bullæ Cœnæ incursum proclamare deberet Donat. *loc. cit. q. 42. n. 5. Pignat. consult. 24. n. 8. tom. 2. Ventrig. in prax. par. 1. annot. 27. n. 10.* vel etiam iterum excommunicare, cum ratione offensæ jurisdictionis fiat subditus Barbof. *de officio & pot. Episc. alleg. 106. n. 37. in fin.* Donat. *d. q. 42. n. 6.* Et sic juxta excessus circumstantias manus aggravanda erit.

Quatenus autem in casu controversiæ Conservator Arbitros, ut supra, propositos eligere recusaret, monendus erit sic *Ad desistendum à prosecutione processus in causa . . . & in termino . . . revocandum, & cassandum omnia acta hucusque per eum gesta, alias termino elapso, & actis non revocatis, die immediatè sequenti compareat ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus ab officio Conservatores per annum, & tanquam usurpator jurisdictionis ordinariæ incursum in excommunicationem in Bulla Cœnæ &c.* Hæc autem monitio semper præmittenda erit, quando excessus non sit notorius ut in casu formulæ vel periculum non sit in mora, aut scandalum timeatur, in his enim casibus poterit omitteri, Passerin. *in d. cap. fin. n. 196.*